



26. K

THALASSIO

AD NUPTIAS

Ampliss. Nobiliss. & Excellentiss. Viri,

DN. VVOLFGANGI GASTONIS,

in Gassendorff/Phil. & Med. Doct.

Celsiss. Principis, GEORGII RUDOLPHI, Ducis

Lignicens. & Bregensis,

Utriusq; Silesiæ PRO-PRAESIDIS SUPREMI &c.

ARCHIATRI solertiss.

Nec-Non

Nob. & Leotiss. VENERIS,

JOANNÆ,

Ampliss. Nobiliss. & Excellentiss. Viri,

DN. JOHANNIS VVEIDNERI,

Phil. ac Med. Doctoris,

&

Physici ordinarii Grünberg.

FILIÆ UNICÆ,

In LYGIORUM ACROPOLI

IX. KAL. MARTII

Anni

CIC IC C XXIII.

celebrand.

Propinquioris Adfinitatis ergo

ablegatus

a

BALTH. EXNERO DE HIRSCHBERGA,

Historiar. & Antiquitatum Professore.

Bethaniæ Typis Joannis Dörfferi.

Ampliss. & Nobiliss. Viris,

D. D. JOANNI V VEIDNERO SOCERO.

D. D. VVOLFGANGO GASTONI

in Gassendorff/Genero

Medicis CL. Adfinibus suis.

**A**d nuptias filia Tua unica JOANNÆ me vocas, WEIDNERE nobiliss. Veniam? Valetudo me tenet nimis aneps, quæ non à peregrinando tantum; sed etiam à scribendo me terret. Ilsg, adeò ĥeūs μέγας ιησονός ἀτη ἐνέδυσε βαπτινή. Offeram xenium? Sed qualenam? An quod in CADMI & HARMONIÆ nuptiis factitatum legimus, cum Cerere, frumentum? An cum Mercurio, lyram? An cum Pallade, monile & peplum ac tibias? an cum Electra sacra Magne Matris & cymbala ac tympana? an cum Apolline, cythara canam? cum Musis tibias instem? An verò quod in Herculis & Hebes Nuplius Dii fecerunt, cum Marte saltem Pyrrhicam? cum Mercurio Palasticos edam motus? cum Gratiis feruntadas? cum Musis faciam modos? vel cum Venere pronuba? cum Sole Oeconomi? cum Diana structoris munere fungar? Nihil horum. sed quod licitum est, cum Apolline Hymeneum canere: una voce, ludum hunc ludere volui, quem videtis. Quanquam Sunt curæ magè nunc, quam ludi in pectori nostro. At quomodo? An eo propitia Sponsis voveam Numina, Jovem ad ultum? Junonem adultam? Venerem? Dianam? Suadelam? Nil & horum. Verùm potius quod Christianorum est, animitus vovo, ut Christus prosperet ista

vincula, & insigni geminet Concordia tæda.

Quo voto omnia me comprehendere aestimo. Gratulor autem Tibi WEIDNERE cl. Generum tibi, Filia autem tua Sponsum obtigisse παντοῖς δρέπησι κεκασμένον, ut de Ulysse Homerus loquitur, & qui inter Medicorum primos. Tibi autem Sponse amabiliss. gratulor de Socero & Sponsa planè tali. Quid autem ex hac Harmonia nisi planè talem speremus expectemus ve sobolem?

FIAT FIAT. Et ut fiat, ΤΙΤΑΝΙΑ Φίλα εἰδότες ἄλληλοισιν.

## SALUTEM ET FELICITATEM.

Quid GASTO Te, quid urget? In intimis medullis,  
Quid GASTO Te, quid urit? Cordisq; corporisq;;  
Tam præpeti furore,  
Et durimo rigore,  
Cordisque corporisque  
In intimis medullis?

In intimis medullis,  
Cordisque corporisque  
Tam præpeti furore,  
Et durimo rigore,  
Quid GASTO Te, quid urget?  
Quid GASTO Te, quid urit?

Annunc PUE R DIONES?  
CYPRIÆ PUE R DIONES?  
PUE R IVE Procreatrix,  
Divina Procreatrix,  
VENERILLA pumilla,  
Tam præpeti furore,  
Et durimo rigore,  
Te GASTO, sic adurget,  
Te GASTO, sic adurit,  
Cordisq; corporisq;  
In intimis medullis?

Urget, profecto adurget,  
Urit, profecto adurit,  
Te GASTO, Magne GASTO,  
Tam præpeti furore,  
Et durimo rigore,

Parvus PUE R DIONES,  
CYPRIÆ PUE R DIONES,  
PUE RIQ; Procreatrix,  
Divina Procreatrix,  
VENERILLA pumilla.

Sed cujus est coloris?  
Sed cujus est vigoris,  
Isthic PUE R DIONES,  
CYPRIÆ PUE R DIONES?  
Sed cujus est coloris?  
Sed cujus est vigoris,  
PUE RI ipsa Procreatrix,  
Divina Procreatrix,  
VENERILLA pumilla?

PUE LLUS est tenellus,  
Isthic PUE R DIONES,  
CYPRIÆ PUE R DIONES,  
Tanti sed est furoris,  
Tanti sed est vigoris,  
Ult maximos Gigantes,  
Et entheos Deastros,  
Nexus suo virili,  
Nexusq; masculino,  
Vincatq; vinciatq;.

Est cæculus puellus,  
Sed tam probo volatu,

Mit-

Mittit suas sagittas,  
Ut tangat atq; frangat,  
Quo stacione tantâ  
Frangi cupit Gigantes,  
Frangi cupit Deastros.  
Tam fixa tela gestat !  
Imbellis est & hujus,  
PUERI ipsa procreatrix;  
Divina procreatrix,  
VENERILLA pumililla.  
Sed unico rotatu,  
Oculiq; nictitatu,  
Corsuiciat Gigantum,  
Corsuiciat Deorum.  
An ullus est Gigantum?  
TYPHAEUS, HERCULES VE,  
OTHUSVE, ALOEUSVE,  
TITYUSVE, GABBARUSVE,  
GyGESVE, GEMAGOGVE?  
An ullus est Deorum?  
JACHUS, AEOLUSVE,  
CYLLENIUSVE, PANVE,  
PHAEBUSVE; MARSPITERVE,  
NEREUSVE, JUPITERVE?  
Qui non truces PUELLI,  
PUELLULIQ. MATRIS  
Sensit semel macheras?  
Parent huic PUELLO,  
PUELLULIQ. MATRI,  
Et Mundus universus,

Et universa, Cœlum  
Quæ sustinet, theatra.  
Et quicquid universo  
Nunc vicitat sub Orbe,  
Aut astrica sub æthrâ,  
Paret Puellulo isti,  
Puelluliq; Matri.  
Quid ergo, GASTO, mirer?  
Quod Te PUERDIONES,  
CYPRIAЕ PUERDIONES,  
PUERIQ. Procreatrix,  
Divina Procreatrix,  
VENERILLA pumililla,  
Tam præpeti furore,  
Et durimo rigore,  
Cordisq; corporisq;  
In intimis medullis,  
Sic urget atq; adurit?  
Medicum esse te fatemur,  
Qui morbos acores,  
Cordisq; corporisq;  
Bonus propellat Auctor.  
MEDICOS sed hic PUELLUS,  
PUELLULIQ. MATER,  
Irridet universos.  
Nil huic levant trochisci,  
Nil heic queunt cylindri,  
Nil heic valent syrapi,  
Nil heic agunt balani,  
Ecligma nil, & ambra,

Ro-

Rotulævenodulive,  
Bolive pillulæve,  
Et quicquid universo  
Est pyxidum involucro.

Peritior MELAMPO,  
PODALYRIO, & GALENO,  
Monstrabit aptiorem  
Tibi saucio medelam,  
Isthic Puer DIONES,  
CYPRIAЕ PUER DIONES,  
PUERIQ; Procreatrix,  
Divina Procreatrix,  
VENERILLA pumililla.  
Sic TELEPHUM MYSEUM  
Malè sauciavit olim,  
PELEIDES ACHILLES.  
Sanavit at vicissim,  
Quo vulneravit, ense.

Et GASTO, Magne GASTO

Tesic Puer DIONES,  
CYPRIAЕ PUER DIONES,  
PUERIQ. Procreatrix,  
Divina Procreatrix,  
VENERILLA pumililla,  
Sanabit & juvabit.  
En pharmacum novellum,  
En pharmacum probatum,  
Isthic PUER DIONES,  
CYPRIAЕ PUER DIONES,  
PUERIQ; Procreatrix,

Divina Procreatrix,  
VENERILLA pumililla,  
Tibi porrigit MEDENTI,  
Ex arte præparandum.  
Tibi μεῖον ecce præbet,  
Lasferq; Gallicanum,  
Tibi præbet en hibisci  
Pericarpium. Sed addit  
Aspergulam. Sed addit  
Antirrhinum. Sed addit  
Cirraginem. Sed addit  
Centaurium. Sed addit  
Helitropium. Quid addit?  
Euphrasiam. Quid addit?  
Origanum. Quid addit?  
Betonicam. Quid addit?  
Eryngium. Quid addit?  
Chamæpytin. id addit.

Herzwurk.  
Brustwurk.  
Heilwurk.  
  
Klebfraut.  
sterbfraut.  
Frawenfr.  
Lausentguld-  
denfraut.  
Gonnenv-  
wirbel.  
Augentrost.  
Wolgemut.  
Ehrenpreis.  
Manstrew.  
Ze senger je-  
lieber.

Sed tu Novelle Sponse,  
Sed tu perite Cœ,  
Ex his Tibi corymbis  
Tibi præpara medelam.

Quin immō præparavit  
Ex his tibi medelam,  
WEIDNERUS ille Cous  
Et nobilis MACHAON.

Quid ergo præparavit,  
VWEIDNERUS ille COUS,  
Et nobilis MACHAON?  
Tibi nempe præparavit

FOMENTUM Amationis.

Hoc applica , & calesce ,  
Plus sat calesce , plus sat.  
Juro Deos Deasq;  
Ubi applicaris euge,  
Sanaberis repente.

Sed qualenam sit illud

FOMENTUM Amationis?  
En hoc choro in decoro ,  
En hoc thoro in marito ,  
Tibi applicat cubanti  
VVEIDNERUS ille COUS  
Et nobilis MACHAON.

Sed qualenam sit illud

FOMENTUM Amationis?

Fomentum Amationis  
Hoc est pedunculorum  
Septemve sexvelongum.  
Est nempe Virginella  
Et Nympha blandicella ,

JOANNA VVEIDNERINA,

In Aede GRATIARUM

Generata & educata.

Quæ tota Gratiosa est ,

Quæ gratiola gente ,

Quæ gratiola mente ,

Quæ gratiola vultu ,

Quæ gratiola cultu ,

Quæ gratiola gestu ,

Quæ gratiola gressu ,

Quæ gratiola visu ,

Quæ gratiola risu ,

Quæ gratiola nisu ,

Quæ gratiola lusu ,

Quæ gratiola cantu ,

Quæ gratiola saltu .

Quæ fronte gratiola est ,

Comisq; gratiola est ,

Oculisq; gratiola est ,

Genisq; gratiola est ,

Manibusq; gratiola est ,

Pedibusq; gratiola est ,

Diana gratiola est ,

Venerilla gratiola est ,

Quæ laude gratiola

Et arte gratiola

Magè gratiola vino ,

Auroq; gratiioso

Rosisq; gratiosis ,

Violisq; gratiosis ,

Gemmisq; gratiosis ,

Nymphisq; gratiosis

Quin immò gratiosis

Quæ Gratiis vel ipfis

Magè gratiola Nympha est .

Virtute quæ Minervam ,

Candore quæ Dianam ,

Amore quæ Cytherin ,

Quæ sanctitate VESTAM ,

Quæ pulcritate FLORAM ,

Quæ

Quæ GRATIAS Iepore,  
SATURNIAMQ; dote  
Adæquat examissim.  
Hanc adjuga puellam  
Tibi beaticellam,  
MEDICAM venustibellam,  
O GASTO, Magne GASTO,  
Juro Deos Deasq;  
Sanaberis repente.

Sed quid meis loquelas  
Te pluries fatigo,  
O GASTO, Magne GASTO?

Es salvus atq; sanus  
Hujus medela HYGEÆ,  
Et jam medelam HYGEÆ  
Rursus Tuæ JOANNÆ  
WEIDNERIÆ JOANNÆ,  
Præscribis, applicasq;

Præscriptio sit ista  
Prosperima atq; fausta.  
Sit prospera atq; fausta,  
Hæc applicatio ipsa.  
Ut germinilla prolis  
Sexcenta masculinæ,  
Sexcenta fœmininæ,  
Progerminentur auctim.

Quàm dulce, quàm decorum  
Spectaculum videbit  
VVEIDNERU Sille COUS  
Etnobilis MACHAON,

Cum viderit ncotes  
Cum videritq; neptes,  
Cum viderit JOANNES  
Cum viderit JOANNAS,  
Novellulas JOANNAS,  
Novellulos JOANNES.  
Novellulos JOANNES  
Novellulas JOANNAS,  
Novellulasq; Gnatas,  
Novellulosq; Gnatos,  
Cum GASTO spectitarit  
GASTO ille, Principatus  
PODALYRIUS LYGAEI,  
Spectaculum videbit,  
Quàm dulce, quàm decorum!

Fallor Tibi an Deastri  
JACHUS, AEOLUSQ;  
CYLLENIUSQ; PANQ;  
PHAEBUSQ; MARSPITERQ;  
NEREUSQ; JUPPITERQ,  
Nunc germinilla spondent  
Sexcenta filiorum,  
Sexcenta filiarum?

Spondent, profectò spondēt  
Sexcenta masculinæ  
Sexcenta fœmininæ  
Tibi germinilla prolis,  
JACHUS, AEOLUSVE,  
CYLLENIUSQ; PANQ;  
PHAEBUSQ; MARSPITERQ;

NERE

NEREUSQ; JUPITER Q;  
Quid ergo GASTO, cessas?  
Quid ergo GASTO differs  
Tuas aniationes?  
Et jubilationes?  
Et basiationes?  
Et saviationes?  
Et osculationes?  
Et copulationes?  
Et conjugationes?  
Et appetitiones?  
Et applicationes?  
Et incitationes?  
Et mancipationes?  
Et germinationes?  
Et duplicationes?  
Et triplicationes,  
Quadruplicaciones?  
Quintuplicaciones?  
Decemplicationes?

Centuplicaciones?  
Expectaten CVPIDO,  
CVPIDINISQ; MATER  
Expectat & DIANA,  
STATILINVS, & LEVANA  
LVCINA, FLORA, VESTA  
PEITHO, PALES, MINERVA,  
MVSAEQ; GRATIAEQ;  
Id tempus exptitum,  
Annotinumq; tempus,  
Vt miu uo canore,  
Vt mutuc sonore,  
Canant novo parenti  
Canant novo puello  
Canant novæ puellæ  
Puellulæq; bellæ  
Puelluloq; bello  
Genethlion tenellum  
Genethlion novellum,  
Genethlionq; bellum.



Ja 666

ULB Halle  
002 177 021

3



sb-200

Von MC





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

S I O  
S  
lentiss. Viri,  
**GASTONIS,**  
Med. Doct.  
UDOLPHI, Ducis  
nsis,  
is SUPREMI &c.  
rtiss.  
ERIS,  
E,  
ntiss. Viri,  
**VEIDNERI,**  
oris,  
nberg.  
E,  
ROPOLI  
II.  
s ergo  
IRSCHBERGA,  
n Professore.  
Dörfferi.